# LVDOVICO LVDOVISIO

S. R. E.

CARDINALI CAMERARIO,

PRINCIPI AMPLISSIMO.

VETVSTI GENERIS, HEROICARVM VIRTVTVM,

MAGNARVM DISCIPLINARVM

SPLENDORE

NOSTRVM AEVVM ILLVSTRANTI.

MVSAS, ET INGENIA


MVNIFICENTISSIME EXCOLENTI, FOVENTI.

FERDINANDVS

CAROLVS

VETVS CLIENS HVMILLIMVS

PERPETVÆ VENERATIONIS




ARGVMENTVM

D.

*Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſſ. P. Magiſt. Sacr. Palat. Apoſtol,*

P. Epiſc. de Curte Viceſg.

*Imprimatur.*

Fr. Ignatius Ciantes Romanus Lector, & Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Rom. Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius, Ord. Præd.

# SERMO DE CHRISTO ASCENDENTE AD GREGORIVM XV. PONT. OPT. MAX.

IN TEMPLO VATICANO A FERDINANDO CAROLO HABITVS.



NOVVS iste triumphator, qui aeris inaccessa perambulat, omnium vota mortalium, omnium in sese (Pater Beatissime) conuertit mentes angelorum. Hinc enim circumfusa supernorum ciuium agmina, inde plebs dilecta fidelium, radiantem illius cruore purpuram, fortitudinem brachij, captiuam captiuitatem, & vinctos de lacu educentis in altum, primæuo, triumphaliquè hymno concelebrant. Cælites arcani inter

vtramquè naturam connubij interpretes, oratores infantis verbi, pastorum duces, fugæ monitores, in deserto ministri, solamen in horto, nuncij resurgentis, hodierni demum triumphi plausores exultant, humani generis; iam constituto fœdere perpetuo; conciues, & socij. Humiles terrarum hospites, mortalitatis nostræ secum; veteris Adæ peccantis indumentum; pauperie, lapideo cultro, laboribus, cruento sudore, contumelijs, flagris, calamo, spineo serto, clauis, lancea, infausto robore paulò ante conscissum, in lucis claritatem, in splendorem incorruptionis gratulantur esse formatum; & gens vtraquè, vnum effecta, lætatur tandem esse restituta cœli, terræquè commercia; dirempta, cum vetus serpens irrito conatu deiectus, dolo circumuentos hominum parentes coniiceret in miserrimæ proscriptionis exilium, & deflendæ mortis ærumnas. Hoc nimirum illud erat, quod regius Vates olim cecinerat, cum, mente cœlos transmeans, æternitatis arcana lustraret, & hodiernæ lucis vsuram prægustans, dominum ascendentem in voce tubæ, ascendentem in exultatione conspiceret, hortareturquè gentes vniuersas vt plauderent, vt Regi Deo, terrarum Domino sapienter psallerent. Summus namquè Rex iste noster, nó translatus ex hac depressa lacrymarum valle, vt ille magnus Enoch, qui, egressus cum Deo, nusqnam postea mortalibus se præbuit conspiciendum; non equis igneis, & flammeo curru, vt Elias, in sublimi, sonantiquè turbine raptus; super ventorum pennas vehitur, cælum cæli ad orientem conscensurus, diuina illa virtute sua subnixus, quam stella motu, loco, magnitudine, fulgore

gore mirabilis prædicauerat; quam Magi, extremis terrarum finibus Iudæas in oras, cælo docente, deducti, asseruerant; quam cælestis Spiritus, in Iordane patefecerat; quam eodem in flumine, quam excelso etiam in monte discipulis adstantibus, Moyseque, & Elia cum Saluatore ipso de magno illo excessu in Caluario monte consumando colloquētibus, æternus Pater, æternum de se ipso Deo Deum, Filiumque sibi dilectum proclamans, vniuersis sæculorum omnium gentibus testatam esse voluerat. Cuius diuinæ virtutis radij toties emicuerant, quoties ostentis, atque prodigijs, quibus dextera nulla potentior; dæmonum phalanges prosterneret, aereasq. potestates, harum tenebrarum principes imperio, deijceret; quoties virtutibus, & signis, quibus dextera nulla fœcundior; terrigenas malis obsessos genijs, morbis, & calamitatibus pressos, subleuaret. Cuius diuinæ virtutis claritas tum maximè enituerat, cum in figuram mortalitatis nostræ formatus ex intacta Virginis aluo prodiret; cum tumentes pelagi procellas imperio compesceret, vestigio calcaret; cum in monte figuram humana figura augustiorem indueret; cum in suprema cœna suum Corpus sanctissimum, incomprehensi amoris pignus, discipulis manducandum proponeret. In cuius virtutis multitudine perpetua luce micantes empyreas domos petit, numquam tamen à nobis discessurus. Qui enim, veniens vbi iam erat, Regales suas sedes non deseruerat, nunc, eò regrediens, vndè non abierat, vineam sua dextera, labore, sanguine consitam, & cultam, numquam deseret, quam egregia turri munitam, & muro firmissimo circumseptam, atque vallatam,

tam, ferus aper frustra vastare conatur; vineam istam ipsam, olim futuram maximam, atque pulcherrimam, quam vniuerso terrarum orbe diffusam, ex vniuerso tamen orbe terrarum collectam in augustissimo isto totius Christiani orbis templo, in isto inquam veræ pietatis domicilio sanctissimo, læti conspicimus, atque mirantes; quacum ad finem vsq; sęculi se perseueraturum affirmauit verbum illud astrorũ,&orbis auctor, & opifex, cuius spiritu solidissimi cælorum cardines sunt firmati, cuius impetu virtus omnis illorũ irrequieta vertigine raptatur in girum. Diuina igitur virtute sua dominus despicit terras, trãsilit montes, & ad viuentium patriam pandit iter sectantibus se mortalibus, ingressurus in sancta, & oblaturus Patri Deo primitias terræ suo cruore perfusæ, nec iam spinas amplius, & tribulos, sed rosas, & lilia germinantis. Ac, veluti Phœnix, auis post longos sæculorum circuitus visa terris, è rogo prosilit, inferens æthereas in sedes pretiũ sepulchri, Adę nepotes, extincta morte, redẽptos, specioso aligerum comitatu nouã illius faciem mirãtium; dum forma, & caro nostra, eiusdemq. naturę substantia sublimis euolat, omnes naturæ vires supergressa, super omnes creatæ naturæ substãtias in augustissimo ipsius diuinitatis solio collocanda; animæ plenè beatæ splendore coruscans, terreni ponderis oblita, expers omnis crassitiei, passionis, & interitus nescia, &, exuta omni tarditate, impigrè exequẽs vniuersa mentis imperia. Quæ, manibus eleuatis, hostium copias, impiosq. conatus dextera terribili profligatura, & contritura immanium capita draconum, hæreditatem istam præclaram, nouam Hierusalem, cælo delapsam, suis

insti-

inſtitutis formatam, ſuo ſanguine partam, & ab omnibus peccati ſordibus emūdatam, ingentibus pollicitis, & multiplici benedictione confirmat; fidei noſtræ robur, firmamentum ſpei, incrementum charitatis. Sed quonam abis ò formoſe, ò ſanctarum animarum dilecte, Patris imago pulcherrima, vis, & ſplendor inacceſſibilis paternæ maieſtatis, & gloriæ? quonam aſpectus ille iucundiſſimus cælum, terrasq. exhilarans? ſerenumq illud os, cordium nubila pellens, diſcutiens caligines omnes, & vmbras mortis, ac ſcelerum? congreſſus, & alloquia vitæ pondus, vitæ vires habentia? lucidiora illa ſole vulnera; ſacrum illud pectus hians, vnde arenti noſtræ mortalitati ſalutis fluuenta manarunt? Ille verò prouehitur, & totò agro palantes diſcipuli ſtant, iacent, in genua proiecti, tollunt palmas, & ora, immoti, luminibus in abeuntem defixi, hærent, geſtiunt, liqueſcunt, æternorum collium deſiderio tabeſcentes, illius amore languentes, qui, exaltatus ſuper omnia, in illis iam oſtendit, qua ſuauitate ad ſe trahat, qua virtute repleat vniuerſa. Hic, qui ſenſus animorum? quæ verba cordium? quis ardor mentium? quæ vota, preces, gaudia, admiratio, ſilentium? Syderei autem orbes, qui, Ioſue quondam iubente, rapidiſſimos meatus cohibuerant, qui orante Ezechia, gradum etiam aliquando retulerant, conditorem, & regem ſuum excepturi, quos aſtrorum concentus, atquè choreas dulci numerorum conuerſione contemperant? quanta luce, quam inſueta decorant diem iſtam primogeniti illius ſabbathi æmulam, quo diuina ſex dierum opera ſunt, domino quieſcente, concluſa? Quæ quidem præclariſſima dies mihi videtur, tot linguis enarrare triū phantis

glo-

gloriam, quot vndiq; radiat aucta fulgoribus, atquè his vocibus exclamare. Gaudeat aliqua dies primæuo vniuersi opificio, difusosq. super inanem rerum naturam pulcherrimæ lucis thesauros admiretur; alia verò quædam firmamentum inter aquas extensum, agrosquè omni florum, & herbarum copia vernātes, vbertatem soli, frugumquè diuitias extollat; alicui etiā diei liceat luminaria magna supernis orbibus infixa, lucisquè & vmbrarum alternas vices, & altrorū luminibus distinctas cælestes plagas ostentare; reptiliū, atquè natantium agmina, populos pennatorum, atquè mortales demum ipsos, cæteris animantibus imperaturos, ex informi limo obstetricante omnipotentis manu, erectis ad cælum visibus à se primum prodire visos quæcumque volet dies iactet; in me verò quot, quantaq. sunt opera dexteræ excelsi perfecta, atquè profecta? In me cælorum, diù nimis expetita sede mortales aduenas arcentium, fores adamantinæ immaculati sanguine agni mollitæ reserantur; per me beatorum supernæ Hierosolymę ciuium numerus augetur; in me lapsi reparator orbis, ab vniuerso opere, quod immenso labore patrauit, tandem requiescit; ex me in omnem æternitatem perennatura, melioris æui, & fælicium pacis sæculorum ducuntur exordia. Sed interea nostris nubes obiecta luminibus dominum cælo redditum humanis adimit obtutibus, & viros albis stolis amictos effundit, latentia sequentis çui momenta reseraturos. Terrenus igitur conticescat sermo, vbi excipienda est cælestis oratio. Iamquè loquentes angelos audite. Dixi.

L A V S  D E O.